

maiolem evidentiam praeponi pronomen demonstrativum *na* e. g. *na kinin nasukwin, hic tu qui es dux sive o dux.*

DE NUMERO IN NOMINIBUS.

Numerus nominum triplex est, singularis, dualis, pluralis. Ante omnia animadvertendum est quodlibet nomen posse dici de uno et de multis indiscriminatim; vel si placet, dicas: nomen sub numero singulari posse usurpari loco nominis sub numero plurali. Sic e. g. nomen *aklsmauknik*, potest latine verti vel per *homo*, vel per *homines*. Imo communiter *ksanka* utuntur simplici vocabulo tum cum loquuntur de uno, tum cum loquuntur de pluribus: raro enim illos audies usurpantes propriam formam nominis pluralis.

Characteristica numeri dualis est suffixum *kistik* e. g. *titkat, vir; titkatkistik duo viri*. Vix unquam *ksanka* usurpant nomen in numero duali.

Nomen duplici modo acquirere potest formam pluralitatis: vel suffigendo particulam *-nintik*, vel praefigendo particulam *al-*. Praefigitur particula *al* iis nominibus quae gaudent praefixo *ak*, aliis vero nominibus suffigitur particula *nintik*. Exempla: *titkat, vir; titkat-nintik, viri; lkamu, puer; lkam-nintik, pueri; ksahan, peccatum; ksahan-nintik, peccata; akaltam, filius, al-akaltam, filii; akniknam, parens; al-akniknam, parentes*.

Si nomen continet pronomen possessivum, poteris indiscriminatim usurpare vel suffixum *nintik*, vel praefixum *al*, ad plurale efformandum. Exempla: *ka-titkat, meus vir; ka-titkat-ninti-alla, vel al-ka-titkat-nalla, nostri viri*.

Verum uteris praefixo *al* reiecto suffixo *nintik*, si nomen desinit in *am*: sic plurale nominis e. g. *palkinam, mulier*, est *al-palkinam*, non *palki-nam-nintik*.

Quoties agitur de aliqua re, in qua duplex pluralitas considerari potest, ut cum sermo est de pluribus, qui in pluribus locis diversis mortui sunt, vel degunt, vel de pluribus tribubus, nationibus, et similibus, duplex ista pluralitas significatur per suffixum *kantik*. Sic ex. g. *ksanka-kantik* significat complexum tribuum illorum indorum qui appellantur *ksanka*. Ut plurimum particula *kantik* verbis inseritur, et interdum simplicem non duplicem pluralitatem significat.

ver
sigi
omn
dun

plur
cor
aki-
de u
sect
nuk

secc
dup
sect
amb
nom
ad q
xim

pro
dest
is re
tam
ama

suffi
viri

form
desi
pron
sona